

fratri nostro carissimo Karolus eadem gratia francorum rex &c. Petierat Fridericus ab eo, ut Oratores ad supra dictam Dietam Norimbergensem mitteret Laudat illa pium procurandae pacis ecclesiasticae studium, de proposito tamen Concilio ait: *Hec quidem via, etsi sufficiens validaque esse videatur ad hoc scisma extirpandum, ubi tamen alia placidiorque occurreret, hec haut dubium potius amplectenda videretur. Et rursus commendat, si medio tempore et ante conuencionem prefatam aliquis amicabilis vie modus inueniretur. Sub finem rogat, ut quemadmodum Imperialis et Francie Domus ad scismata extirpanda retroactis temporibus coniuncte fuere — et nos eorundem vestigia insequendo pariter procedamus &c. Datum apud Salmurium die 7. mensis Octobr. Sine dubio 1443. En saturam lancem Rerum Bastiensium.*

Fol. 376. Calixti III. Pont. Bullae III. 1) inscripta: *Indulgentiarum dominante Cruciate. Nempe contra Turcas, capta CPoli, data a. 1456. 12. Julij Pontificat. anno 2. Incipit: In his superioribus annis impius nominis christiani persecutor &c. 2) Contra FF. Mendicantium et Sacerdotum Parochianorum Discordias circa Peccatorum Confessionem et auditionem Missae. Incipit: *Illius licet immeriti vices gerentes &c. Data a. 1456. XII. Kal. Septembr. Pontificat. anno 2. 3) Bulla cruciate. Incipit: Ad summi pontificatus apicem disponente deo nu-**

per assumpti &c. Data contra Turcas a. 1455. Id. Maij Pontificat. a. 1. Prima et postrema extant T. XVIII. Annal. Eccl. Raynaldi pp. 461. et 435. Media in Bremondi Bullario Ord. Praed. T. III. p. 352. Atque in his operosus Codex terminatur.

DCCCCXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 116 Folior. 421. 4. currente calamo, et magnam quidem partem manu M. Thomae Ebendorfer de Haselbach, qui aevo illo inter lumina Academiae Vien. claruit, conscriptus, et rubro distinctus multa notatu digna complectitur, quae ordine proponam. I. *Considerationes XVI. inscriptae: Per Thomam de haselpach in dieta moguntina 1441. Prima haec Friderici III. Imp. Dieta destinata erat Francofurtum, oratorque ab eo missus Haselbachius, sed praehabita est Moguntia. Quid ibi praestiterit Noster, non liquere ait Autor ejus Vitae P. I. Scriptt. Universit. Vien. p. 152. Neque plus J. Joach. Müllerus in Theatro vernac. Comitior. Imp. T. I. paginas implere contentus Reformatione illa, cujus saltem Declarationes phrasibus Seculi XVI. Clero catholico iniquis turgent, quamque jam ab Imperatore propositam, jam non propositam, jam ab eo, jam vero a Civitatibus Imperii confectam ait. Sed et aliorum, quos quidem consului, docti, cordatique Scripti nostri nemo meminit, quo Haselbachius damna*

damna Schismatis vivis coloribus expingit, contenditque Ecclesiam universalem deserta *Basilea*, *Ferraria*que in tertio quopiam loco cogendam, procurato ad hoc tam *Eugenii*, quam *Felicitis* consensu. Init ille: *Quia iuxta sapientis consilium ecclesiastici XXXVIII. cap. scribenda est sapientia in tempore vacuitatis &c. et mox mentem suam aperit: nulla via videtur securior planior compendiosior et ad plenam unionem efficiendam et stabiliter continuandam efficacior, quam debita ad cautelam instantia pro translatione Basiliensis Concilij ad alium locum tertium merito amobus contendentibus gratum, conformem decretis patrum, Regibus et principibus tam spiritualibus quam secularibus pro ipsorum aut suorum congregatione aptum et ydoneum &c. Multa in his Avisamentis, ut mox sub principium etiam adpellat Autor ipse, sacrae Antiquitatis et Canonum peritia, multus rerum et locorum usus, ut adeo in quadam *Rerum Conciliarium Basiliensium* Collectione jure optimo comparerent. Post *Considerationes* solvit *Hasselbachius* ea, quae obmoveri possent, et finit: unde ordinationem parvi decreti ipsemet *Eugenius* demonstratur violasse. Parvum istud Decretum agens de remissione *Graecorum Basilea* in patriam, datumque *Non. Maj. 1437.* nostro Scripto insertum est, a me vero in *Actis Concilii* haud repertum. Porro Scriptum ipsum *ἀυτογενές*, et ob multa in margine addita primae meditationis esse videtur.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

II. fol. 29. כִּיזוּב חִידוּף וְגִידוּף הַיְהוּדִים הַרְעִים וְהַחֲסָאִים Id est: *Mendacia, contumeliae et calumniae Judaeorum impiorum et peccatorum.* Sequitur Praeloquium in blasphemum Libellum, cui titulus: סֵפֶר תּוֹלְדוֹת יֵשׁוּ הַנוֹצְרִי וְזַמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ Id est: *Liber Generationis Jesu Nazareni, cujus nomenet memoria deleatur.* Post Libellum habentur Rhythmi quidam hebraici ejusdem furfuris, et demum Refutatio Libelli imperfecta. Jam dicendum de singulis. Praeloquium ita orditur: *Multa multis retroactis annorum decursibus sollicitudine anxius mirari et supermirari cepi, cur miserabilis Judeorum populus in sua contra scripturas suas sic permaneat cecitate obduratus — Et licet sparsim colligerem ex eorum cartulis et ex quorundam musitacionibus intelligerem tacitus, quendam fore codicellum, quem multa diligentia studendo reuoluunt, in quo suos paruulos pene a Cunabulis imbuunt, ac ipsa sacerrima Natiuitatis domini saluatoris nostri nocte pariter ac die multis vicibus blasphemias inibi contentas in publico conuentu multa cum attentione recitare disponunt &c. Et sic ad Libellum delabitur, quem omni falsitate mendatio pariter et contradictionibus apertis plenissimum ait se, ut potuit, coadiuvante quodam Hebreo fidelissimo fere de verbo ad verbum in latinam linguam rustico stilo convertisse &c. En igitur ipsum Libellum a Satana,*

ii

na, ut pronuntiavit *J. Cpb. Wagenfeilius*, cacatum. Incipit is: *Principium generationis ipsius Jesu hanozeri. Miriam mater sua mijfrabel (מישראל) id est, ex israel fuit et fuit aros (ארושה) id est, desponsata cuidam de semine regio de domo David, cuius nomen rabi Jochanan, id est, Johannes et fuit iste magnus baal (בעל) id est, magister thora (תורה) id est, doctrine legis, hic valde timuit deum, et fuit quidam eius schachen (שכן) id est, vicinus ex opposito Janue domus Miriam videlicet illius, et ipsa fuit pulcherrima aspectu, et nomen eius (nempe vicini) Joseph ben (filius) pandera, et hic iniecit oculos suos in eam in nocte quadam sabbati. Verum satis mota Camarina. Infame hoc Scriptum jam Sec. XIII. notum fuit Raymundo Martini O. P. Hispano, qui P. II. c. 8. Pugionis Fidei adversus Mauros et Judaeos edit. Lips. 1687. p. 362. locum ex eo recitat, quin tamen edifferat titulum. Locum hunc, ut varia alia, in suam *Victoriam adversus impios Hebraeos* deinceps a. 1520. Parisiis impresam inseruit Porcbetus Salvaticus Carthuf. Genuensis Sec. XIII. Post Sec. XV. medium magis cognitum fuit Petro Nigro O. P. Germano, quoniam in *Traclatu contra perfidos Judaeos &c. Eslingae* a. 1475. excuso p. 64. ipsum ejus refert titulum: *Sefer Toldoth Jehoschua Hanozeri*. Seculo demum XVI. Exemplar ejus hebraicum post multos conatus obtigisse Sebast. Münstero testis est *Wagenfeilius*.*

Atque istud Exemplar lapsu temporis apud *Helvetos* ad *Job. Buxtorfsum* devolutum, id esse suspicor, quod tandem cum vers. et not. *Job. Jac. Huldrici Tigurini* in lucem emerfit *Lugd. Bat.* 1705. 8. Praevertit tamen *Huldricum* a. 1681. memoratus jam *Wagenfeilius*, qui, ut ait in *Praeloquio*, Exemplum magno labore, summoque pretio nactus id P. II. *Tellorum igneor. Satanae* publicavit *Altdorfii Noricor.* 4. Aliorum circa pestiferum hunc Foetum *Judicia, Confilia, Promissa* habes in *J. Cpb. Wolfii Bibliotheca Hebr.* P. II. p. 1443. P. III. 1222. P. IV. 1065. Confer etiam P. I. 982. Verum, qui omnium horum Virorum indagaciones hactenus effugit, noster est, ne lectorem suspendam diutius, *Thomas Haselbachius* aetate ipsum *Petrum Nigrum* antegressus, atque adeo primus τὸν *Toledoth μεταφραστis*. Audiatur ipse; ita enim *Refutationem supra memoratam* orditur: *Ad honorem dei et fidei orthodoxe exaltacionem nec non et detestationem errorum Judaice pravitatis ego thomas de haselpach, postquam dei et cuiusdam Neophiti in hebrea lingua satis periti fretus auxilio precedentem tractatum in latinum conuerteram, censui et Judeorum mendacia in sequentibus amplius enodare. Ad sciendum ergo falsitates filiorum alienorum, Judeorum scilicet oberrantium, quorum eos loquitur mendacium et dextera eorum plena est falsitate, ideo presens libellus intyulatur Auen Hajebudim (היהודים)*

(היהודים) *id est, Falsitatis Judeorum &c.* Sed Libellus, postquam probasset, Judaeos filios esse alienos, jamque disputationem de Messiae (שילה) (Tz) adventu ingressus esset, quod dolendum, abrumpitur. Habemus tamen saltem integram των *Toledoth* Versionem, quae magis ad Editionem *Wa-*

genseilii, quam *Huldrici* accedit, Librariis, quod ejusmodi Libellorum fatum est, successu temporis, detractu, infarctu, trajectu multum sibi sumentibus. Restat, ut etiam de Rhythmis supra memoratis dicam. Quatuor Strophi constant, quarum en primam:

אֲשִׁירִים וְחֲמָנִים עֹבְרֵי גֹי עֹי פְּנִים
יִמְחוּ בְּעֵנְבִים הָעֹשִׂים כְּאַבְנִים

Quasi dicas: *Gens serviens lucis et statuis, dura fronte, agens, ut lapis, instar nubium deletur.* Notavit ad calcem *Haselbachius*: *Hoc carmen prescriptum composuit quidam Judeus Abraham, si-*

cut ex principio literarum huius carminis claret (prima enim Stropha incipit ab א, altera a ב, tertia a ג, quarta a ד) ad melodi-

*Christus surrexit, mala nostra texit,
Et quos hic dilexit, hos ad celum vexit. kyrie eleison.*

Quod ultimum improbus Versus pariter corrumpens ad singulas Strophas addidit קְרִי לוֹ יֵשׁ, *keri lo iesch*, quod significat: *Immunitia (Rabb. Accidens noctis) est, vel sit ei. Videlicet Christo.*

III. fol. 41. Dialogus inter Veritatem et Mendacium, qui incipit: *Cum ydentitas sit mater fastidij et pulchra alternatio deletat animum &c.* *Johannis Wiclefi* est, et *Vol.* superiore non semel relat. Deficit hic in his verbis: *vana gentilitas introduca, in cuius signum tam graduati* — —. Titulum praefert: *Dyalogus. Mako vide caute.* Recte; sed quid *Mako?*

IV. fol. 60. Prologus cuiusdam fratris *Hainrici Ministri provincialis Colonien.* sed tamen non fatetur se scripsisse. 1441. Haec et quaedam per decursum marginibus adnotata *Haselbachii* manum referunt. Cur vero non fateatur *F. Henricus?* Fortasse quod maxima *Germaniae* parte aut in *Basileenses*, aut in *Neutralitatem* inclinante ipse in favorem Potestatis pontificiae calamum strinxerit. At extat, teste *Harzbemio* in *Biblioth. Colon.* p. 130. apud *FF. Minores Convent. Coloniae* Codex ita subscriptus: *Explicit tractatus seu collectio ex diversis de eminentia potestatis Apostolicae super Ecclesiam universam &c. F.*

Henrici de Werle (seu Werlis) *sacrae Theologiae Magistri, et FF. Minorum Provinciae Coloniensis Ministri anno 1441.* Eodem igitur, quo *Hasselbachius Avisamenta* sua N. 1. indicata *Moguntiae* proposuit. Porro *Tractatus* hic idem est cum nostro; nam et *Prologus* utrobique incipit: *Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 1. iuquit. Obsecro vos fratres &c.* et *Tractatus* ipse: *Rex pacificus sacerdos dei altissimi Christus &c.* Tam parum igitur *Henricus* *Scriptum* suum diffiteri voluisse videtur, ut potius, dum illud *Basileenses*, non *justum*, ut ait, *judicantes iudicium, sed secundum faciem* reprobarent, duobus illud novis firmaret *Tractatibus*, quorum *Titulos* videre est apud eundem *Harzbemium l. cit.* En itaque novas ad *Adparatum Concilii Basileensis* *συμβολας.*

V. fol. 90. a *Prologo* incipit: *Tractatus contra leuitates grecorum editus a fratre Manuele (Caleca) ordinis predicatorum in greco et translatus per Magistrum Ambrosium Parui ordinis eiusdem admandatum domini Martini Quinti et presentatus eidem.* Initium *Prologi* est: *Cum quidem fraternae dilectionis cura maximi habenda est &c.* Initium *Operis*: *Cum Dominus noster Iesus christus discipulis dixerit: Euntes in mundum uniuersum &c.* Adlatum est *Opus Libris IV.* constans ad *Martinum V.* a *F. Antonio Massano O. M.* quem is ad *Emmanuellem* et *Johannem Orientis Impp.* ablegauerat, *CPoli*, ubi *Autor* circi-

ter ad an. 1400. vitam egerat, de quo fufe *Bibliothecarii Ordinis T. I. p. 718.* Graece nondum impressum est, latine vero edidit *Petr. Steuartius Ingolstadii 1608. 4.* unde in *PP. Bibliothecas* cooptatum legitur *T. XXVI. Lugdun. p. 383.* At vero quo *Interprete?* Si omnes audias, fuit is *Ambrosius* ille celebrer *Traversarius* dictus *Camaldulensis*; fin autem *Codicem* nostrum, *Ambrosium Parui O. P.* habes. Sed ride mecum lepidum *Librarii* lapsum. *Praefatio* *Interpretis* inscribitur: *Domno S. ac Beatiss. Papa Martino Ambrosius*, et incipit: *Parui praecipis tuis &c.* Viden *Ambrosium Parui?* Exemplar istud *Hasselbachium Basilea* secum asportasse, credibile est, unde etiam sua *Job. Gersonius* et *Job. de Turre cremata* tulerunt, ut est apud *Bibliothecarios Ord. Praed. l. supracit.*

VI. fol. 186. *Opinio* cujusdam *ICti de Facto*, quod his verbis praemittitur: *Magistra et Conuentus Monasterij S. Jacobi Wyenn. Patav. Dioc. ord. S. Augustini emerunt pro se et ipsarum Monasterio censum siue redditum annuum centum et decem florenorum auri et monete Hungar. a Magistro ciuium et consulibus Wyenn. generaliter super omnibus bonis ipsius ciuitatis pro tribus millibus et tricentis flor. auri et monete preditorum. Hoc tamen pacto interueniente, ut liceat ipsis venditoribus aut successoribus eorundem censum praefatum, quandocumque voluerint, ab ipsis emptricibus aut sequacibus earum*

rum redimere seu reemere pro summa precij et numismatis predicatorum. Responsum ICTi in favorem hujus Contractus sacrae illae Virgines dein ad Theologum, et quidem *Hafelbachium* detulere, qui, licet ICTi rationibus, quas *sciolum me iudice non multo studio adhibito dissolueret*, non plene contentus, benigne tamen etiam de Contractu judicat. Incipit ejus Judicium, quod etiam e Cod. *Tirnstein*. citatur in P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 157. *Religiosis sororibus in Christo filiabus Petronelle Magistreae ac Conventui sororum ad sanctum Jacobum &c. Thomas de Haselpach &c. Magnificat anima mea Dominum — dum considero vos timoratas et nil speciem mali habens aut viciosum contractum spirans in vestris censibus pati velle &c.* Ubi eas etiam a necessitate praesentis pecuniae excusat, prosequitur: *Nam cum Austria que tunc multis dissimulantibus sic a predonibus esset infestata, ut in litore danubij sibi speluncas incastellarent, neque extramuros tutus erat locus, sed et die et nocte accedentes et recedentes interciperentur, obnitentes captiuitati et morti subiciebantur, victualia ex omni parte wyennam adducere cupientes vna cum eisdem et suis iumentis aliorum in direptionem traherentur, nec erat qui has calamitates corde perciperet, nisi wyenna suis consilijs et clamoribus corda quorundam excitasset, se ipsam in arma fortius erexisset non parcens expensis et laboribus congruentibus, ut res publica saluaretur,*

quod et altissimo fauente obtinuit. Quae lites *Alberti Fratris*, aut *Hungarorum cum Friderico Imp.* ob *Ladislauum Pupillum* spectare putem. Judicium suum subscripsit *Hafelbachius Anno Domini 1454. Conuersionis sanctissimi Pauli die.*

VII. fol. 220. Ejusdem Differentio epistolaris *Dilecto sibi in domino Johanni Mauch pastori Ecclesiae in Buchsbayn Beatissime Virg. Marie Augusten. dyocessis.* Tria Vir hic e Theologo nostro quaesierat: I. An Parochianis pentibus sacra Hostia circum segetes et vineas gestari possit. II. An possit portari ad loca igne conflagrancia. III. An liceat instituta supplicatione contra tempestates ad 4. mundi angulos legere 4. Evangeliorum initia et Exorcismos facere. Ad omnia Tria respondetur: Nec licere, nec expedire, cumulanturque rationes in contrarium, praecipue a fine institutionis Eucharistiae, et Superstitionum periculo petita. Multa hic generatim de omni ratione hujus Sacramenti, de variis Ecclesiae usibus, de Curatorum Officiis, de diversis Rudium Superstitionibus, de Exorcismorum praxi adferuntur ad cognoscendum Liturgiae Germanicae Sec. XV. statum opportuna, lectuque digna. Paulo rigidior tamen quibusdam videri possit Noster. Expende v. g. quod ait: *In eadem dampnatione reor esse, qui figuras sanctae crucis in montibus altis et collibus constituunt credentes talia signa ab istis finibus repellere tempestates, qui tamen omnibus diebus vite suae*

isto signo viso neque reuerentiam exhibuerunt, neque passionis christi et eius meriti vnquam aliquam memoriam habuerunt, prout a decrepitis expertus hec scribo. &c. Initium Tractationis est: Multa usque instantia postulastis, quatenus solutionem quarundam questionum &c. et finis: dic tantum verbo et sanabitur puer meus. Non memoratur ea inter Opera Nostri P. I. Scriptt. Univ. Vien.

VIII: fol. 235. Eiusdem Propositio facta nomine *Friderici III. Imp.* in quodam cum Proceribus *Hungariae* Conventu, cuius locus et annus, qui 1440. aut 41. esse debuit, non memoratur, qui tamen *mediatore Reuerendissimo in christo et sancte Apostolice sedis a latere legato* (Juliano Caesarino) per *S. Dominum nostrum* ad hoc specialiter transmissio celebratus est. Incipit: *Quomodo qualiterque principatus et Regna in decessibus suorum Regum et principum agitationibus concutiantur — luce clarius edocuit Serenissimi quondam fe. re. domini Regis Alberti flebilis occasus &c.* Narrat deinceps *Elisabethae Viduae* cum infante *Ladislao* fugam ad *proximiorum sanguine federatum Imperatorem*, turbas, quas excitarunt nonnulli diuites fieri querentes et ere pressi alieno, *Joh. Hunyadis Comitum Cylie* adversarii vastationem *Styriae* usque ad *Marpurgam*, celebratam in *wyenna* amicabilem *dietam*, aliam *Posonii* die dominica post *laurentij* celebrandam praetextu absentis *Hunyadis* ad festum *beati Mathei Apostoli* dilatam cum-

que ob temporis brevitatem *Nuntii Imp.* adesse non possent, negatam generoso domino de *Ebersdorff* et *M. Casparo* de *Chrems* prorogationem, et interea *Hunyadem* cum sua gente, quam praeuie congregatam habuit *turcorum scismaticorum et aliorum*, quam ad compescendam *Regnicolarum* rebellionem et insolentias et verbis et scriptis una cum alijs dominis, et non in offensam suae maiestatis congregatam asseruit, diraqueque in terris *Friderici* exercuisse, quae enumerantur, et pro quibus satis fieri postulatur. Scriptum, quod *ἀνέκδοτον* putem. Tergo temere haec de *Passaviensibus IV. Episcopis* alia manu adscripta sunt: *Gotfridus de weissenegh* fecit magna solempnia edificia maxime stubas in *Pataua, Vienna, Swadorf, Viechtstain* &c. et valde bene fecit ecclesie. *Dominus Albertus de Winkchl* strenuus fuit et prostravit ciues *patauien.* magno numero infra *Patauium* et *opidiolum zell* apud aquam que dicitur *Erlach* que plurimum ciuium sanguine usque in *danubium* fuit aspersu. *Johannes de Scherffenberg* presedit duntaxat sex annis uel circa. *Georius de Hohenloch* sumptuosus et preciosus alienauit *Schonpichl, Riedegk* et *Mattsee* &c. Hi Praefules federunt ab a. 1342. ad a. 1422.

IX. fol. 237. Consilium super lapsu cuiusdam baptizati olim *Judei*. Dirigitur *Rev^{mo}* in christo patri et domino. domino *Vadrico* (de *Nusdorf* recte) 3°. *Sancte patav. Ecclesie* presuli. vertiturque de quo-

quodam Judeo florencie, ut asseritur, sollempniter et publice baptisato, qui successu temporis diabolico spiritu agitatus tandem veniens Patauiam se compunctum et penitentia ductum super assumpto christianitatis titulo palam proclamauit, et super hoc coram seculari Iudice penam ignis huiusmodi apostatis debitam iterum atque iterum sibi inferri postulauit, qui et tandem, ut eius efficacius probaretur spiritus — carceribus extitit deputatus, in quo sathanico spiritu ad peiora persuasus est, ut et ferro sibi letale vulnus infligeret — quibus perperam perpetratis nescitur quali penitudine ductus se asserit iam cyrurgicorum cura alleuiatus penitere et pretextu cuiusdam visionis sibi per quandam astantem facta feminam velle in antea in Christi fide firmiter perseuerare &c. Tria ad haec respondet Haselbachius: Primum. Iste lapsus pro presenti non est puniendus extremo supplicio, aut in hoc relinquendus brachio seculari ad ipsum distringendum mutilatione membrorum, aut aliqua simili pena corporali. Secundum — ad tempus notabile caucius conseruandus est sub inclusione carcerali. Tertium hoc interuallo currente varijs modis in bonitate et asperitate probandus est, ut sic vexatus de suo proposito innotescat et intentione finali. Singula suis rationibus fusius ediferuntur. Notabile, quod ait: Loquor non tanquam ignarus harum rerum, dum enim talium Neophitorum alias perfunctoria probatio seruata, imo verius neglecta exti-

tisset, non paucos huius secte etiam post baptisma sollempniter susceptum ad pristinam perfidiam vidimus reuerti, et hodie domino Imperatori per me ex nomine designati, precipue Israel eorum magnus Rabi, resident in Noua ciuitate (Neustadt) quieti. Episcopus supra dictus fedit inter annos 1451 — 79.

X. fol. 242. Ejusdem Opusculum constans X. Capitibus inscriptum Uenerabili patri Domino Nicolao preposito Monasterij sancte Dorothee Ord. S. Aug. Can. Reg. eo, ut ait, caritatis glutino, quo olim in iuuentute multa familiaritate studendo pariter conuersati fuimus. Conquestus erat Nicolaus de quodam Laico, qui sibi sciolus uidetur et sapiens, quique illi et alteri cuidam Abbati exprobraverat, quod in eorum Monasterijs et locis vinum proprijs stipendijs excultum venditur ad ducillum. Itaque Thomas noster proprio hoc Tractatu probandum fuit, non repugnare clericorum ordini. nec beneficiatorum, curatorum aut prelatorum dignitati, neque quorumcumque sacerdotum proprietatem in communi vel in speciali temporalium rerum iuste habentium officio aut statui, ea que de suis fructibus tam in aridis quam in liquidis supersunt, per se vel suos simul, per ministros uero secundum partes ad mensuram pro iusto precio vendere, neque ex hoc mercatores dicendos, aut ut tales de ecclesia prociendos, aut alia pena percellendos esse. Latius tamen paullo, ut solet, expatiatur; deque

que iis, quae sacros Homines deceant, aut non deceant, differit, ubi notari meretur Caput III. *Cur layci sint clericis infesti, cum tamen sint eis et in vita et in morte plurimum opportuni.* Notatur hic Tractatus P. I. *Scriptt. Universit. Vien.* p. 157. scriptus vero est, ut in calce notatur, Anno 1457.

XI. fol. 259. *Informatio Thome de Haselpach ad G. Hakke Consiliarium domini Ducis Sigismundi in Athesi (Etschland) 1455.* Init: *Postulasti a me fautorum carissime, quatenus tibi quoddam exemplar vite tue directorium ymo uerius regulam aliquam depingerem &c.* Substernit Thomas verba *Jobannis Bapt. cuius, ut ait, nunc natalis pre foribus se dies obtulit, Luc. C. III. 14. ad Milites: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris; atque ex his tria vitia eruit et impugnat, ad que curiales prouisi sunt et que plurimum solent regnare in curijs Magnatorum, nempe Oppressionem Pauperum, Calumnias impactas Diuitibus, et Defraudationes. Digreditur vero etiam ad Jus Principum, quod in primarium et usurpatum dividit; nam potentes de facili solent trahere in consequentiam et communiter pro iure habere, que eis semel aut bis admissa sunt, aut permissa, vel speciali casu exigente quondam concessa, aut gratuite per modum propine porrecta. Atque huc revocat census de aurifodinis, salinis et aliorum metallorum fossuris, inuentiones thesaurorum sub terris, mone-*

tas et earum crebras mutationes in peius &c. Multa praeterea de Statu militari differit, quo loco probat *Artem sagittariam propter Turcas, qui suis arcibus Christianorum plurimum turbant exercitus, quando ex aduerso per sagittas non arcentur.* Sunt et alia multa notatu digna, quae magnam Viri *παρρησιαν* ostendunt, nihil vero de ipso Duce. Concludit denique: *Hortor igitur te frater amande, ut te primum, tuam dignitatem agnoscas, te non obscure natum consideres, magnaue domus tue multitudine amicorum vallatum, temporalibus sufficienter praeditum, pudica coniuge, nobili prole dotatum, et hec omnia non nisi de larga manu dei, ut ipsum tuum conditorem agnoscas &c.*

XII. fol. 274. non ejus manu: *Copia mandati boemorum oblata in congregatione generali die veneris XVI. mens. Januarij M^o. CCCC^o. 33^o.* Init: *Reuerendissimis in christo patribus &c. concilij basilien. Capitanei exercituum, Barones &c. Quia audientiam generalem desideranter dudum &c.* Extat unicum sequenti T. IV. *Suppl. Concill. Mansii col. 429.* Corrigam tamen aliquas typi negligentias: *Sencisum* lege *Benessium*, *Mokrowus* lege *Mokraw*, *Zouymia* lege *Znoyma*; annum praeterea XXXII. in Subscriptione pro XXXIII. Demum adde in fine: *Item Laurinus residens in Ciuitate Thabor qui fuit omnium oratorum consensu approbatus, qui asserebatur per negligentiam scriptorum omissus.* Sequitur, ut T. cit.

cit. *Copia mandati vniuersitatis studij pragen.* hujus tenoris: *Reuerendissimis &c. Cristannus de practaticz Canonicus &c. Olim paterne glorie splendor &c. Dati Prage — M° CCCC° 32°. Die prima mens. Decembr.*

XIII. fol. 276. *Eugenius &c. Uniuersis christi fidelibus &c. Deus nouit secretorum omnium optimus perscrutator &c. Copia Bullae exhibitae in Collect. Concill. Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 296.* Notae temporis, quas Codex non habet, sunt: *Romae M. CCCCXXXIII. 18. Kal. Jan.*

XIV. fol. 280. *Ad instantiam Reverendissimi Domini Cardinalis sancti petri ad vincula (Joh. Cervantis Hisp. ad Concilium Ablegati) Basilee 1434.* Redit prima manus *Hafelbachii* nostri missi a. 1432. ab Uniuersitate *Vien.* Oratoris ad Concilium, unde et bipertitum hoc Opusculum subscripsit: *Hec — per humillimum Vestre Reuer^{me} paternitatis Thomam de baselpach Ambass. Uniuersitatis Wyenn.* Pugnat vero in eo pro Autoritate Conciliorum generalium supra Pontificem, hoc ingressu: *Quis dabit capiti meo aquarum fluentia, et oculis meis lacrimarum irriguum &c.* ad deflendas videlicet dissensiones in Ecclesia. Pars I. constat Capitibus VI. Pars II. vero X. Initium C. I. est: *Principale hujus bulle apparet fundamentum, quod summus pontifex sit superior Concilij generalibus et quod eadem possit regulare pro libito uoluntatis &c.* Itaque ansam Scripto dedit *Bulla* quaedam *Eugenii, Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

quam illam arbitror, qua praecedente anno causas plurimas a cognitione Concilii ad Curiam Rom. avocavit, quae legitur *Supplem. Mansii T. IV. col. 826.* Scriptum solidum an haecenus Collectorum oculos euaferit, an consulto dissimulatum fuerit, nescio; nullam saltem illius mentionem reperi.

XV. fol. 322. *Lugduni 1429. 14. Maij in vigilia pent. post signum (nuncium) habitum Aureliani in depulsum obsidionis Anglicane tractatus domini Job. de Farson Canc. ll. parysien de puella (Johanna ab Arcu) et credulitate sibi adhibenda.* Initium: *Presupponendum est in primis quod multa falsa sunt probabilia &c.* Ut edit. *Opp. omn. Amst. T. IV. col. 864.* ubi tamen nulla ratione addita pronunciat *Gersonio perperam ascriptum*, licet in edit. *Paris. 1606. P. II. col. 874.* f. dicatur *compilatum a M. Joanne de Gerson*, et in Codice nostro ad calcem descriptum 1435. in *Concilio Basilien.* itaque septimo anno, postquam compositum fuit, quando sane *Basileae* sciri potuit, quid genuinum sit *Gersonii* eodem anno 1429. uivis exenti. Desinit in Codice *Apologia* haec *Puellae Aurelianensis* in his verbis: *et iusticia coram ipso omnibus diebus nostris. Amen.* Itaque abest *Triplex* illa *Veritas* in *Editis* adjuncta, cujus loco sequitur *Dictorum Refutatio* inscripta: *Contra que replicantur sequentia.* Atque his *Autor Jobannam* superstitionis, quin et haereseos infimulare nititur, concluditque, *omni-*

um, et maxime matris mee Vniuersitatis, Episcopi et inquisitoris interesse, haec propulsari. Quae Theologum Parisinum, Anglis fortasse fauentiorem prodere videntur.

XVI. fol. 325. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, de *Statibus Ecclesie M. Job. de Gersona*. Infit: *Pax quam omnes obseruare conuenit &c.* et Extat Edit. cit. T. II. P. 4. col. 529.

XVII. fol. 330. Ejusdem *Propositiones de Simonia*, ut habentur in *Tractatu de Simonia* Edit. cit. T. II. P. 1. col. 645. et 551. *Super materia symoniace prauitatis et labis in collatione &c.*

XVIII. fol. 331. p. 2. Ejusdem *Breuis tractatus de auferibilitate pape ab ecclesia*, ut Edit. cit. T. II. P. 2. col. 209. *Veniunt autem dies cum auferetur &c.*

XIX. fol. 342. *Tractatus de auctoritate congregationis fidelium vniuersalem ecclesiam representantium sine consensu summi pontificis facte*, editus constancie per *Cancellarium parisiensem*. Non est manus *Hasselbachii*. *Tractatus ipse Summarium* potius, sive *Σκελετον* XIV. *Articulorum* in unam, pluresve *Conclusiones* tributorum sic incipit: *In sequenti opere ad videndum de auctoritate &c. erunt XIV. articuli. In primo videbitur de constitutione corporis mystici ecclesie per christum hominem facta. An elaborauerit Opus istud Gersonius, nescio; neque enim illud, neque Schema nostrum in Edit. cit. reperi.*

XX. fol. 346. p. 2. *Tractatus R^{mi} domini Johannis patriarche Antyochei Basilee*. Incipit: *Sacrosancte generali synodo &c. Quia non nulli os suum aperientes in celum &c.* Pro auctoritate Concilii supra Papam. Extat in *Lab. Collect. concill. T. XVII. edit. Venet. col. 706.* et a me relatus *Vol. I. P. 2. col. 1411.* Ad calcem praesentis Exempli legitur: *Anno domini MCCCCXXXIII. compilatum in concilio Basiliensi.*

XXI. fol. 358. p. 2. *Codicillus* quidam de Schismate inter Eugenium et Amadeum inscriptus: *Dignetur p. v. c. aduertere ad infra scripta. N. de chuzza.* Est igitur: *Nic. Cusani* Card. Viri doctissimi et legationibus pontificiis in patriam suam Germaniam clarissimi a *Basileensibus* ad *Eugenii* partes transgressi, pro quo hic impense agit. Incipit: *Non est contencio S. d. n. Eugenij pape cum concilio sed cum domino Arlatensi (Ludovico Card. S. Caeciliae) et ceteris sibi adherentibus paucis tamen presumptuosissimis persecutoribus suis et apostolice sedis ymo catholice ecclesie propter priuatas suas passiones, qui ex capite, quod sibi constituerunt, Amadiste dici possunt, quos sancta catholica et apostolica ecclesia ac sacra ycumenica synodus florentina dampnauit. Si p. v. (Paternitas Vestra) aduertat ad ea, que natio germanica ab Apostolica sede consecuta est, scilicet fidem et Imperium, ac ad id, quod p. v. specialiter habet ab eadem sede, merito christo ac eius vicario in petri sede*

de cum deuotione assistere debetis contra amedistas. &c. Praefulem aliquem Germanum ex praecipuis adloqui videtur, idque circa tempus Conuentus Francoford. 1442. Scriptum est cum primis Historiae feruiens, eoque tendit, ut Neutralitas tollatur e parte Germanorum.

XXII. fol. 361. p. 2. *Effectus Pragmaticae sanctionis per Ecclesiam gallicanam Rege presidente octaua Julij 1438. Bituris &c.* Sanctio haec pragmatica in Conuentu Bituricensi a Carolo VII. stabilita legitur in *Lab. Concill. Collect. T. XVII. col. 1365.* un-

Pastor eterne Deus grex balat ad te reus.

XXIV. fol. 369. *Responsio Magistri Jo. (cognomen extritum) Jacre pagine Professoris parisiensis. Rome 1319. pontif. Johannis 22. anno 4°. summittens iudicio Romane sedis dicta. Johannes is est de Poliacio celebris e disciplina Guil. Sanctamorii FF. Mendicantium orator, qui inter alia in illum regerebant Doctrinam, quod Episcopi et Parochi potestatem suam immediate haberent a Christo. Narrant hoc. Bulaeus et Oudinus; neuter tamen addit, quo nixi fundamento Fratres id fecerint. Atque en fundamentum; nam ita incipit ejus Responsio: Christus Apostolis XII. et discipulis 72. quos immediate instituit, potestatem immediate dedit, et potestas eis data communicata est in Episcopis, qui succedunt Apostolis et in curatis, qui succedunt discipulis, et ideo isti et*

de quin que Puncta nostra depromta sunt.

XXIII. fol. 362. *Traclatus domini Johannis de Gersona Cancellarij parisiensis de Scismate.* E pluribus unus, qui incipit: *Ad tollendam quorundam in scismate presenti pertinaciam &c.* et legitur edit. *faepe cit. T. II. P. 1. col. 3.* Deest in Codice, qui finitur: *consequenter loquendo est potestas deuoluta, illud quartum Documentum, quod e Codd. mss, adjunxisset ajunt Editores; sed versus tertius e 4. subjectis, utut peccans, rectius apud nos legi videtur:*

illi habent a christo immediate potestatem. &c. An tamen haec Romae, ut praescripsit Librarius, facta sit, dubito. Mallem Auenione.

XXV. fol. 378. *Dominus (Niccol. Tudescus Sicul. Archiep.) Panormitanus in dieta frankfordien.* Missus erat ad hunc Conuentum, qui, ut notum, nihil concludit, Orator Amadei, five Felicis V. a quo creatus fuerat Cardinalis. Sermonem ibi longum habuit, eoque contendit: a *Basileensibus* legitime repraesentari Ecclesiam, adfuisse iis potestatem deponendi Eugenium, adfuisse et depositionis causas. Sermo ipse typis vulgatus extat, et adjacet mihi Editio *Lugd. char. goth. f. a. 8.* Aliam ejusdem loci, sed a. 1518. uti et Versionem gallicam *Gerbasii Paris. 1697.* memorat

morat *Fabricius Bibl. med. Lat.* T. XIII. edit. *Mansf.* p. 134. ubi *Mansius Exemplum ms. e Codd. Felinianis* addit, in cujus inscriptione habitus dicitur a *Nicolao* misso ad *Fridericum* Regem Rom. ad *Frankfordiam* sub *An. 1442.* de mense *Junii* coram auditoribus præfati Regis. At vero in nostro Codice non nisi exacta ejus adest *Ἐπιτομή*, *Aulicis* fortasse prolixa fastidientibus oblata, quae incipit: *Posito casu a principio congregationis Basilien. Concilij &c.* et subscribitur: *Finitum frankfordie 7^{ma} Julij 1442.*

XXVI. fol. 397. p. 2. *Proposita per Nic. de Cusza 1442.* 21. *Junij et duobus sequentibus in dieta frankforden.* En *Viros doctissimos Nicolaos Siculum et Germanum* inter se commissos. *Mulciber in Trojam &c.* *Proposita* nostra pariter non sunt *Sermo* formatus, sed *Sermonis Ἐπιτομή*, unde ineunt: *Primo, quia non erant audiendi.* 21. *Dist. Interius.* quia *scisma fecerunt.* 23. *q. v. non vos &c.* *Modis omnibus contenditur, Basileenses schismaticos, Eugenium* verum *Pontificem, Synodum Florent.* legitimam esse. Ad calcem: *Explicit 29. Junij frankforden. in dieta extracta* (scilicet e *Sermone* habito) 1442. An *Sermo* ipse alicubi superstes sit, nescio. Habetur quidem in editis *Nostri Operibus Epistola* ejus ad *Roderic. de Arevalo de Trevino Archidiacon. et Oratorem Regis Castellae* data *Francosf. 20. Maji 1442.* de *Potestate Rom. Ec-*

clesiae, sed de Propofitis in Dieta nihil.

XXVII. fol. 407. p. 2. *Sequentes Articuli 22. offeruntur per dominum Eugenium christianissimo Karolo Regi francorum ac alme uniuersitati parisiens. ad finem ut Rex dimittat suam pragmaticam sanxionem.* *Conatum Eugenii ad Regem a sua Pragmatica dimovendum* meminit *Egass. Bulaeus Hist. Univ. Paris. T. V. p. 533.* *Franc.* item *Pinssonius in Historia* hujus *Pragmaticae, Paris. 1666.* p. 720. f. ait: *Papa Eugenius IV. eidem Regi quasdam componendi rationes proposuit et in eas quosdam Articulos dimisit; verum Articulos ipsos, quos Codex noster exhibet, apud nullum eorum, quos diligenter consului, reperi.* Incipiunt illi: *Jesu christi saluatoris nostri nomine inuocato secuntur articuli sancte Reformationis Ecclesie Gallicane per S. D. n. qui in archano sue mentis considerans &c.* *Ultimus est: Placet XXII. quod si infra annum vacatio eiusdem Ecclesie pluries contingat, una tantum vacatio quoad solutionis onera censeatur.* Sed enim vero non nisi sub *Leone X. et Francisco I. Pragmaticae* succedere *Concordata.*

XXVIII. fol. 412. *Collatio ad Bas. Concilium 3^o Octobr. 1444.* Incipit: *Rev^{dm} in christo pater dominus (Nicolaus) Abbas sancti Blasij (in Silva nigra) hic in presentiarum constitutus et ego tantillus sibi in hac parte adiunctus venimus ad hunc sacrum vestrum ce-*
tum

tum (non Concilium) *R^{mi} R^{di}* que in christo patres missi ab inuicissimo principe domino nostro *Fridrico Romanorum Rege &c. Haselbachii* manum esse censeo, primamque Adlocutionis hujus in chartam coniectionem, quamvis de hac missione nihil in *Scriptt.* aut *Conspect.* *Hist. Acad. Vien.* memoretur, neque in *Collect. Concill.* quae Rerum *Basileensium* filum nimis cito abrumpunt. Tacet etiam *Infantius* in gallica sua *Hist.* hujus Concilii. Interim missionis scopus fuit, movere *Basileenses* ad migrandum, seque novo Concilio uniendos, cui locus proponitur *Constantia*, aut *Augusta*, vel alius locus insignis in riparia *Danubij*. Proponendis spatia interjecta sunt in Codice ad adnotandum, ut videtur, quid responderint ad singula *Basileenses*. Itaque ibi, ubi proposita est *Constantia*, additum postea: *Hic contra locum, quia non est tutus accessus; item Episcopus semper huic Concilio contrarius, et nulli fecit tantum Eugenius, quia duas Ecclesias Cathedralis sibi concessit. Et re ipsa Henricus IV. Ep. Constantiensis etiam Curiensem Sedem in decennium administrandam acceperat. Ad aliud Proponendum, quod sic habet: Item instabimus, ut idem dominus Eugenius se in propria persona illuc conferat &c.* additum: *Hic dixit, quod se prius a veniendo excusat, quia alpes transire non posset &c.* Unde conicio Legatos de eadem re paulo ante a *Fridrico* etiam ad *Eugenium* missos fuisse.

XXIX. fol. 418. *Collatio in exequijs M. Johannis Hymeli 1450. in die Martini gutta tacti et defuncti.* Paralyfin intelligere licet, quamvis et alii morbi *Guttæ* nomine olim venerint. De *Job. Himmel Styro*, ut videtur, ex *Weiz*, celebri Acad. *Vien.* Theologo, ter Rectoratus munere functo, *Alberti Archid.* ad Concilium *Basil.* et Concilii ad Academiam *Vien.* Legato, adque D. *Stephani* Canonico videri possunt *Scriptt. Universit. P. I. p. 126. Conspectus Hist. Univ.* ad annos 1432. et 1436. et *Locheri Speculum Acad.* ubi tamen a. 1444. obivisse putatur. Fallit vero pariter Titulus Parentationis nostræ; non enim *Himmeli* folius, sed etiam *M. Stephani de Eggenburga Austrii* Canonicatu et academicis honoribus non minus insignis funus profequitur Orator. Verum ne diffusas laudes expectes. Primum ait, eorum, nempe *Stephanum*, ab adolescentia mea fovi sub doctrina. quem blando eloquio, corpore et moribus enituisse uirginis, ut omnium in se prouocaret affectum, omnium etiam agnoui testimonio. Alterum denique acrem ingenio, acutum in agilibus, peritum in negotijs semper deprehendi, qui et si se plurimorum opinionibus difformavit, nunc autem sibi omnia sunt in meliorem partem interpretanda &c. Cum manus sit *Haselbachii*, suspicor, ejus et *Himmeli* sententias *Basileæ* quandoque discrepasse. Reliqua loci communes sunt de Morte, et initium: *In exequijs viri tam celebris memorie quid di-*

2301

C O D I C E S

2302

cam &c. Atque hic finit Codex multarum rerum cognitu dignarum ferax, et Viri Aeta commendans, qui, si Academiam *Lipsiensem*, *Halensem*, *Göttinganam* &c. olim ornasset, jam dudum nactus fuisset folertem Βιωγραφον. Sed enim quot ejusmodi Virorum memoriam cum in his Commentariis, tum in *Hist. mea Typogr. Vien.* revocare conatus sum!

DCCCCXXXIX.

U.119 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 264. 4. non una manu perscriptus et olim Testamento additus Collegio Beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatores in *Wyenna* a M. Andrea de *Weytra* arcium ac sacre pagine Professore, ad sanctum Stephanum canonico, patre ac superintendente collegij prefati sequentia complectitur: I. Συλλογην pertinentem ad Visitationem Dioecesis *Passav.* quam occasione Legationis ad *Bohemos* et *Moravos* e Concilio *Basil.* agente *Alberto* Archid. a. 1435. instituire *Philibertus* Ep. *Constant.* Legationis caput, et *Leonardus* a *Laying* Antistes *Passav.* cui nimis parum in hoc negotio tribui video ab *Hansitio* T. I. *Germ. sacrae.* p. 525. Habes vero in Codice: 1) Dicenda per cursorum in vocando communitates et sacerdotes. Vocabantur etiam duo vel tres Laici. 2) Puneta a delegatis Visitationibus praevis proponenda, et pro finali conclusione dicenda Clericis. 3) Bullam *Leonardi* Ep.

qua Visitationem ab altera parte *danubij* infra *Anasum* delegat *Paulo* de *wyenna* decretorum doctore et *Andree* de *weytra* baccal. in theologia formato subscriptam *Wyenne* Sexta die Mensis Junij Anno D. M. C. C. 35°. 4) Formulam secundum quam visitatio instaurata est. Dedit eam *Leonardus* *Dominica*, qua in dei ecclesia canitur *Misericordia domini* (II. post Pascha) In sua ciuitate *Patauensi* Synodum celebrans. Multa in ea adcurata, opportuna, etiam curiosa de Clericorum, quibus rubens et viridis color prohibetur, vestitu, ubi *Colleria*, *Joppulae*, *Pannus* cendatus (*Zendel* - five *Sendelast*) &c. 5) Formulam visitandi M. *Johannis* de *Gersona*. Habetur illa *Opp. omn.* Edit. dictae *Antwerp.* T. II. P. 4. col. 558. 6) interjectis quibusdam *Asceticis* excerptis, ut praefertur, ex *Libro* pergameneo pertinente ad *Dreschirchen* sequuntur Officia *Rektoris* *Ecclesie* parochialis, *Vicariorum*, *Clericorum* simul *habitantium*, *Praedicatorum*, *Confessorum* &c. quae Sec. XV. Disciplinam ecclesiasticam illustrant. 7) *Interrogatoria* visitandorum primum Clericorum, dein *Laiorum*, ubi inter alia: *An portent sacramentum eukaristie ad bladum* (*Segetes*)? *An dicant ibi 4. ewangelia versus 4. angulos mundi?* ubi additur: *Nullum istorum debent facere ad vitandam supersticionem* &c.

II. fol. 25. p. 2. Decreta quaedam *Basileensia*: 1) *Sessionis* I. de *Celebratione* *Conciliorum*. 2)

Con-